

dum vi tractata, ^a quò ceteris quies esset. Dicebatur contra, pietatem erga parentem, & tempora Reipublicæ obtentui sumpta: ceterum cupidine domandi concitos per largitionem veteranos; paratum ab adolescenti ^b priuato exercitum; corruptas consulis legiones, simulatam Pompeianarum gratiam partium: mox ubi decreto patrum, fasces, & ius prætoris ^c inuaserit, cæsis Hircio & Pansa (sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, sive milites Hircium, & ^d machinator doli Cæsar abstulerat) vtriusque copias occupauisse: extortum inuito senatu consulatum; armaque quæ in Antonium acceperit, contra Remp. versa; proscriptionem ciuium, diuisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecere, laudatas. sanè Cassij & Brutorum exitus paternis inimicitiis datos, (quāquam ^d fas sit priuata odia publicis vtilitatibus remittere) sed ^e Pompeium imagine pacis, sed Lepidum specie amicitiae deceptos. post Antonium Tarentino Brundusinoque fcedere, & nuptiis sororis inlectum subdolæ adfinitatis pœnas morte exoluisse. pacem sine dubio post hęc, verū ^f cruentam, Lollianas, Varianasque clades, interfec̄tos Romæ Varrones, Egnatios, Iulos. ^g Nec domesticis abstinebatur: Abducta Neroni vxor, & consulti per ludibrium pontifices, ^h an concepto, necdum edito partu rite nuberet: qui At edij & ⁱ Vedij Pollionis luxus: postremo ^j Litia grauis in Remp. mater, grauis domui Cæsarum nouerca: ⁱ nihil deorum honoribus relictum, cùm se templis & effigie numinum per flamines, & sacerdotes coli vellet. ne Tyberium quidem charitate, aut Reip. cura successorem adscitum, ^k sed quoniam adrogantiam sauitiam-

OBSERVATIONES.

a Consilio omnia prius experiri, quām armis sapientem decet, ut ait Terent. in Eunu. Vi certe non nisi perraro, & pauca admodum tractari debent. & hæc ipsa non alio consilio, quām ut exercitus quies sit, bellum enim iustum est, cùm alia via ad pacem perueniri non potest. adeo ut ex bello pax; ex vi quies proficiatur.

b Quicunque priuatus exercitum parat, & conscribit, is, ut mea fert opinio, non hostis, sed latro dicendus est.

c Non quicquid publico decreto fit, id statim iure fieri dicitur, si terore, & armis illud decretum ab infirmiori, aut corrupta Reip. parte extortum, atque erexitum est. hoc declarauit Tacit. hac dictione, inuaserit, nam eis Augustus decreto patrum fasces & ius prætoris obtinuit, et tamen, si rem, ut est, eloqui volumus, inuaserit: cùm ea non tam Reip. quam copias suis accepta referre posset.

d Paterna & priuata odia publice vtilitati remitti fas est.

e Hostes imagine pacis; nostri specie amicitiae decipi possunt.

f Vtrum maiori odio dignum censem, bellumne, an pacem cruentam?

g Non solum que princeps publice delinquit, sed & domestica illius turpitudines notantur.

h Eadem ratio est potentiae actui proxime, atque actus ipsius. quod cum ita se habeat, in iis que ad nuptias pertinent, eadem certe religione tenetur mulier concepto, atque edito parti.

i Quid, obsecro, Deorum honori relinquitur, si principes templis, & effigie numinum per flamines, & sacerdotes coli volunt?

k Principes interdum, ut sui desiderium relinquant maximum, successores sibi adscificant mortaliū deterrimos; ut suas virtutes, si quæ unquam in ipsis fuerint, hac ratione illustriorē reddant, atque ut sua flagitia successors gravioribus tegantur.

que

¹ Nam culpa mortis Conditum in Cæsa. confabatur, ut auctos esset Dio, lib. 17.

² Vide Sen. de Clem. lib. 1, ca. 18. & de Ira lib. 3, cap. 40.